Historia Sacra est quæ considerat Ecclesiæ Statum Externum h. e. locum incrementa decrementa
tranquillitatem & persecutiones II. Statum internum et Ecclesiæ doctrinam ritus & miracula quæ contigerunt
III Consilia à quibus doctrina defenditur IV Episcopos Martires & viros sanctos tanquam defensores do-
ctrinæ singulos V. Hæreticos & Schismaticos impugnantes doctrinam per Hæresin atq Schismata
VI deniq Religiones profanas h. e. paganismum Muhamedismum & Iudaismum in Novo Testamento

Civilis Historia est quæ pariter considerat rerum publicarum & imprimis IV. MONARCHIA-
RUM I Statum exteriorem h. e. locum incrementa decrementa pacem et Bella. II. Statum
interiorem h. e. leges & instituta varia. III Comitia IV. Imperantes & viros illustres V seditiosos
VI deniq res publicas alias contemporaneas hisce etiam cognata est Historia literaria quæ
explicat Scholarum Regiarum sive Academiarum & Rei literariæ statum viros doctos
eorumq dogmata & scripta.

§VI Porro historia dividitur variæ secundum Tempora expedit igitur potiores Temporum
divisiones innumerato habere (I) igitur Tempora apud gentiles ratione cognitionis trivariam di-
viduntur (I) est Tempus incertum vel incognitum de quo gentilibus parum vel nihil constitit et hoc
pertinet usq ad Diluvium Ogygis Seculo 22. (II) Fabulosum de quo gentiles aliquid cognitum
habebant sed multis commentis per mixtum & hoc pertinet usq ad Olympiades seculo 32.
(III) Historicum de quo gentiles aliquid certi compertum habuerunt et hoc pertinet usq ad
nostra tempora,

§VII Secundo dividuntur tempora apud Iudæos ex traditione Rabbini cuius-
dam Eliæ in 6 millenarios quorum Imus & 2 vocatur tempus inanitatis sive ante legem spe-
cialem Abrahamo datam de circumcisione, & ante promissionem 3us & 4 vocantur
tempus legis sive sub promissione 5us & 6 vocantur tempus Messiæ sive post legem
Iudaicam iterum abrogatam et post promissionem de messia ~~adventum~~ nascendo im-
pletam. hæc divisio præcipue Iudæis Messiæ adventum inficiantibus opponi potest.

§VIII Tertio dividuntur Tempora apud Christianos in VII ætates
(I) est Ante Diluviana sive longævorum usq ad Seculum 17. medium
II) Post diluviana Noachica sive dispersionis gentium usq ad seculum vigesimum
primum
(III) Est Patriarchalis sive Deorum apud gentes usq ad secul: 25 medium
(IV) est Heroica sive Iudicum apud Israelitas & semi Deorum sive Heroum
apud Gentiles usq ad seculum 30.
(V) Est Regia sive Regum & Prophetarum apud iudæos & poetarum apud
paganos usq ad seculum 34 præceps.
(VI) Est Etnarchica sive ducalis h. e. Scribarum apud Iudæos et Monarcharum
itemq Sapientum & philosophorum apud gentiles usq ad seculum 40 medium
(VII) deniq est Messiæ cæterum alij 6 tantum ætates numerant cum nem-
pe 3iam & 4 in unam contrahunt.

§IX Quarto dividitur Tempus in ante Monarchicum & Monarchicum sive IV. Mo-
narchias sumitur a h. l. Monarchia eminenter & in sensu biblico et notat imperium
à Daniele cap. 2 & 7. descriptum et insigni potentia atq dignitate à Deo exorna-
tum ad quod cætera regna cite referri possunt has Monarchias Matthæus Dresserus
in oratione de IV Monarchijs adiuncta tomo Imo Isagoges Historiæ habet pro im-
perijs Universalibus quæ videlicet cæteris omnibus imperijs vel præfuerunt vel
præesse debuerunt sed n. huius rei nullum fundamentum apud Danielem exstat
nec res ipsa etiam admittit.

poero –

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id363461612/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG